



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Privilegivm Monasterii Sancti Medardi. De Gairaldo abate sancti Medardi,
& de illius monasterio Suessionensi, quod amplissimis priuilegiis decorat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

PRIVILEGIUM
MONASTERII SANCTI MEDARDI.

De Gairaldo abbe sancti Medardi, & de illius
monasterio Sueffionensi, quod amplissimis
priuilegiis decorat.

Gregorius omnibus episcopis.

PRECIOSISSIMIS lapidibus in diademate Christi me-
rito renitentibus, omnibusque sanctæ Dei ecclesiæ
membris, quorum vniuersale caput est Christus, Grego-
rius licet sanctæ Romanæ sedis pontificio sublimetur, hu-
millimus tamen seruorum Dei seruus.

Quando catholicorum regum corda ad ea, ad quæ pon-
tificialibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio
diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltro
poscantur, tanto alacri & læto sunt animo concedenda,
quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti de-
buerant. Proinde iuxta filiorum nostrorum præcellentissi-
morum scripta regum Brunichildis ac nepotis eius Theodo-
dorici monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, ac beato-
rum Petri apostolorum principis, nec non protomartyris
Christi Stephani, quod est in Suesforum ciuitate situm,
vbi sanctus Medardus requiescere, & vir venerabilis Gai-
raldus abbas præesse videtur, huiusmodi priuilegia au-
toritatis nostræ decreto indulgemus, & ea plenius confir-
mamus priuilegia, quæ a bonæ memoriæ domino papa
Ioanne, comitante illustrium regum clementia, Clotarii
scilicet & Sigeberti huius nostræ filiæ iugalis, ipsi loco sub
anathematis vinculo sunt concessa vel indulta, concedi-
mus atque firmamus. Statuentes nullum regum, antisti-
tum, vel iudicum, nullum quacumque prædictum digni-
tate, ea quæ a præcellentissimis regibus vel quibuslibet
aliis Deum timentibus loco concessa sunt vel conferen-
tur, sub cuiuslibet occasionis specie minuere vel auferre,
vel suis vñibus applicare: sed cuncta, quæ Deo seruientibus
monachis oblata sunt vel offerri contigerit, perenni tem-
pore illibata, & sine aliqua inquietudine volumus possi-
deri, eorum vñibus, pro quorum sustentatione concessa
sunt, modis omnibus profutura. Concedimus etiam vt

obeunte abbate, non alias ibi quicunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem communis consensus monachorum elegerit, aut præuiderit ordinandum. Caeant autem præfati monachi Simoniacam hæresim, ne potentia regum vel antistitum conuicti, loco pastoris suscipiant tyrannum. Quod omnino fieri prohibemus, & eumdem abbatem causa ordinationis suæ aliquid dare præsumere vetamus, ne hac occasione, quæ a fidelibus piis locis offeruntur vel oblata sunt, consumantur. Et quia fama religionis Deo seruientium monachorum nostras peruenit ad aures, quibus vir vitæ venerabilis Gairaldus præesse dignoscitur, iustis petitionibus præcellentissimorum regum Brunichildis atque Theodorici fauentes, ob amorem domini Medardi tantam diuini honoris dignitatem & securitatem concedimus perenni tempore mansuram. Auctoritate igitur diuina vice beati Petri apostolorum principis, consensu omnium Romanorum pontificum, & voluntate totius senatus Romani, suadente nobis viro apostolico Anserico Suefforum vrbis pontifice, & omnium Galliæ episcoporum fauente iudicio decernimus, ut nullus archiepiscoporum, vel archidiaconorum fratres præfatae basilicæ de ordinatione sui abbatis, vel ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet, sed secundum prærogatiuam ipsius loci vobis modo recitatam beatissimi prædecessoris nostri domini Ioannis papæ tempore decretam, & apostolica auctoritate firmatam ordinationem sui abbatis ipsi fratres peragant, & ecclesiasticorum graduum dignitatem suscipiant. Consecrations quoque fontium, & scrutinii mysteria in ipso monasterio celebrent. Chrismatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis, a quo cumque voluerint pontifice benedictionem expetant: ne tantus honor a quoquam rectore vlli occasionis causa, vel necessitatis intermittatur, ne vilescat tantæ sublimitatis locus sanctæ Mariæ, & beati Petri, nec non & protomartyris, & domini Medardi meritis sacratus, quem caput monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusque ditioni patimur subeffe. Sed velut hæc sedes Romana speculationem suam toto orbi indicit, & nouas consuetudines omnibus mittit, & omnium personarum seruitio caret: ita præfatus locus remota omni consuetudine pessima

regum, antistitum, iudicum, exemplum diuinæ religio-
nis, & honestatis ceteris exhibeat monasteriis, & super
ea plena gaudeat libertate. Cuius rectores & filii præsentes
& successuri tantum sub regum custodia positi admonitionem
sancti Petri, & successorum suorum huius sanctæ Ro-
manæ sedis pontificum auctoritate proclament. Et si in-
cumbit necessitas, adeant. Huius rei gratia fratribus diri-
gendis in via tanti itineris, filia nostra Brunichildis regina
x x. mansos ingenuos, & totidem seruiles, cuncta integri-
tate æternaliter facta præceptione iuxta finem Alpium
contulit, & multos alios redditus terrarum ob hanc cau-
sam delegavit, fitos in eiusdem itineris spatio. Tusiacum
vero & Mortinetum fiscos regios communiter ad stipen-
dia fratrum dedit, & ita omnes villas Deo, & sancto Me-
dardo traditas, vel tradendas sua præceptione conclusit,
vt quicumque super terras domini Medardi habitare
voluerit, vel steterit, siue seruus, siue liber cuiuscum-
que sit, alterius dominio priuetur, & sanctæ Genitricis ser-
uitio aptetur, nec ultra redeundi licentiam habeat. Quod
si fugerit, reputetur vt seruus nunc eiusque sanctæ Deie-
clesiae. De altaribus quoque iuxta institutionem Domi-
ni papæ Ioannis apostolica auctoritate confirmamus, vt
qui fuerit rector præfati monasterii, fiat præterea altarium
præsul, & omnium ecclesiarum sibi pertinentium, & inde
præfatorum sanctorum præcipuo altari luminaria exhi-
beantur, & hospitalitas peregrinorum cum reverentia
agatur. Subiungimus & aliud editum, si causa capitalis
criminis abbas est deponendus, non prius deponatur, do-
nec depositores apostolicam auctoritatem requirant: &
ita sint tres metropolitani cum suffraganeis suis, & abba-
tes quamplurimi. In ipso autem Concilio accusatores vnu-
quisque cum XII. testibus præsentes afflant, & ita veri
iudicii examine probent se vidisse, vt audiente Concilio
obtestentur. Ad ultimum vero ipse abbas rationes suæ ex-
cusationis reddat, & iureiurandi pacto supra sacrorum
mysteria quatuor euangeliorum satisfaciat. Tunc vero si
conuictus fuerit, correctione deponatur: sin autem, suo
honorireddatur, & ecclesiasticæ dignitatis mysteria reci-
piat, & inter sacra Missarum solennia benedictionem, &
prædicationem iuxta instituta domini papæ Ioannis per-
agat,

agat, & suæ conuersationis vitam melioribus exemplis deducat. Monachis quoque hanc proponimus sententiam, vt nullus eorum inuidia aut odio abbatis, quod absit, comprimitur, vel extranearum personarum censura plectatur. Quod si culpa principalis vitii deliquerit, priuatim intra claustrum eiusdem monasterii ab ipso abbatе & spiritualibus fratribus arguatur, & a corpore sanctæ congregatiōnis segregetur. Quod si perseverante contumacia abscissus fuerit, præcipimus illi, vt precatorias accipiens literas, quodcumque voluerit ingrediatur monasterium, aut causa pœnitentiæ huius sedis apostolicæ licentiam petat, & suscep̄tis a domino papa literis liber suum monasterium repeatat. Hæc igitur omnia, quæ huius apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis priuilegio continentur, præfati monasterii rectoribus, & filiis præsentibus & futuris, & omnibus monasteriis ipsi loco subiectis vel sociatis, sub anathemate seruanda constituimus. Si quis autem regum, antistitum, iudicum, vel quarumcūque sacerdularium personarum, huius apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuscumque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, & vt catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei ecclesiæ destructor, a consilio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & haeretici ab initio saceruli usque in præsens damnati sunt, cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia prælatorum sanctorum sibi propitiauerit clementiam, & fratum communem reconciliauerit concordiam.

S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Gregorius sanctæ Romanæ sedis antistes huic priuilegio subscripsi.

Euterius Arelatensis archiepiscopus subscriptus.

Gregorius Portuensis episcopus subscriptus.

Andreas Albanensis episcopus subscriptus.

Augustinus Cantuariorum episcopus subscriptus.

Anastasius Tiburtinæ episcopus subscriptus.

Sergius Prænestinæ episcopus subscriptus.

Concil. Tom. 13.

R r

Petrus Ananiae episcopus subscriptis.
 Agnellus Sutrinæ episcopus subscriptis.
 Mellitus Lundoniæ episcopus subscriptis.
 Ioannes Veliternæ eum episcopus subscriptis.
 Tiberius Siluæ candidæ episcopus subscriptis.
 Marinianus Rauennatis ecclesiæ episcopus subscriptis.
 Vitulinus Sipontinensis episcopus subscriptis.
 Ioannes Syracusanorum episcopus subscriptis.
 Sabinianus Tudertinorum episcopus subscriptis.
 Eulogius Alexandriae episcopus subscriptis.
 Dominicus Carthaginensis episcopus subscriptis.
 Fortunatus Neapolitanorum episcopus subscriptis.
 Ioannes Surrentinus episcopus subscriptis.
 Primævius Nurciensium episcopus subscriptis.
 Felix Portuenium episcopus subscriptis.
 Gloriosus Ostiensium episcopus subscriptis.
 Constantius Narniensis episcopus subscriptis.
 Constantius Mediolanensis episcopus subscriptis.
 Sutellius Burdegalensium episcopus subscriptis.
 Vitalis Vesontensem episcopus subscriptis.
 Bonifacius Placentiae episcopus subscriptis.
 Syagrius Augustodunensem episcopus subscriptis.
 Flauius Rhemorum archiepiscopus subscriptis.
 Ansericus Suefforum episcopus subscriptis.
 Theodoricus rex subscriptis.
 Brunichildis regina subscriptis.
 Ego Petrus sanctæ Romanæ sedis subscripti, & sigillau.
 Datum vii. Kalendas Iunii, anno ab incarnatione Domini D XCIV. indictione xi.

Mense Iunio, indictione undecima.

PISTOLA XXXIX.
G R E G O R I I P A P Æ I.
 AD PETRVM SVBDIACONVM.

De Numerio diacono transmittendo, vt in episcopum
 consecrari possit, & Catella puella, quæ ab habitu
 conuersionis impediebatur.

Gregorius Petro subdiacono Campania.

ANTE aliquot dies tibi scripsimus, vt Numerium diaconum Nucerinæ ecclesiæ interrogare subtiliter de-
 buisses, & si nihil esset quod ei ad sacerdotii gradum po-
 tuisset obsistere, huc eum consecrandum Deo auctore